



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Oculus, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm

Scheiner, Christoph

Freiburg i. B., 1621

Cap. IV. Libera & naturalis radiorum visoriorum intersectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71258)


EXPERIENTIA QVARTA.

DECVSSATIO RADIORVM VISIBILIUM

in oculo constat, natura ipsa duce.

CAPVT IV.

Verum quid opus est experimentis arte conquisitis, cum ipsa rerum natura huius ipsius doctrinæ se statuatur Magistram. Accipe rem a sæculorum fortasse memoriâ non auditam, certè non visam. Est homo, etiamnum in viuis, cuius sinistra oculi pupilla, ita obducta est albâ quadam sed natiuâ nubeculâ, vt vel in eandem, vel ex eadem pupillâ aditus non pateat speciebus nisi spacio tantillo quantum nouæ lunæ falx acutissimo visui largiri



dignatur, idq; ad hircum oculi angulû, videlicet naso vicinum; quod in adiectâ patet figurâ: In quâ Iris oculi est ABC, pupilla DEFG, nubecula alba pupillæ obducta DHFG, falx perspicua DEFH. Iam si oculus iste res obiectas intuetur, in oppositis & permutatis sitibus eas conspiciatur; vt in exemplo, si obiectum statuatur ILNK, punctum I non videbitur à lunulâ DEFH, sed punctum K per radium HK. ad lunulam maximè obliquum: eodem modo neque punctum L, neque N. ita vt à re visa oculus hic maximè auersus videatur. Hæc experientia conuincit, res per radios decussatos aspici, nam si huius hominis oculo rem aliquam obtendas in radio aliquo directo vel HL vel HN aut alio quocûq; inter axem opticum MN atque HI iacenti, nihil penitus videbit. Eadem pupilla, iuxta ea quæ c. i. enarrata sunt, ampliatur & coarctatur, ad lucis præsentiam & absentiam. Id autem quod radijs decussatis, qualis est HK, in lunulam incurrit; distingui quidem potest quid sit, malignè tamen quasi per nebulam apparet. Ratio est,

est,

est, obliquitas incidentiæ & refractio, &c. Sicut ergo huius oculi portio lunularis DEFH, obiecta directè sibi opposita non videt, sed in contraria parte sita, ita ratiocinandum est de qualibet pupillæ sanæ parte detecta. Quare concludendum est, omnem pupillæ portionem in eam obiecti partem ferri, quæ situ radiorum decussato allucet. Nam sicut vna oculi portio obiectum percipit, ita & alia quæuis vtiq; illud apprehendere apta est. Neque te moueat experientia quam priore capite de cera attuli; licet enim ipsius species in oculum veniat radio non decussato eo quod in eadem parte oculi pars sentiens & obiectum versetur, radius tamen formaliter visorius in decussationem tendit: ipse enim si post factam visionem produceretur extra oculum, in contrariam plagam exiret; hinc res visa in locum alienum transfertur supra in inferum, sinistra in dextrum, & vicissim, &c. Decussatio ergo vti vitari nequit, ita negari non potest per dictas experientias.

EXPERIENTIA QVINTA.

VNO OCULO REM EANDEM SIMVL
bis, ter aut quater distinctissimè, absque vllò
adhibito alio diaphano, videre licet.

CAPVT V.

Accipe orbiculum ex laminâ aliquâ tenui
excisum (metallica huic vsui ferè aptior
est) ABC, ex quo ansula ADC promi-
neat. Hunc transfige acu duobus foraminibus
vbi libet ad E & F, interuallo EF, minore, quàm
sit tua pupilla: quo facto, altero oculorū clau-
so, alterū ad foramina facta applica vicinissimè,
& per ambo simul turrium fastigia de die, aut
stellas luculentiores, de nocte, lunam, (solémue
vel auersas procul candelas, lampadas, (ad pas-
sus 10. 20. aut amplius) contemplant; videbis
omnia geminata, & quidem distinctiùs, quam
si ea absque vllò obstaculo considerares,



Quod